



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

V. An dari possit ratio communis Analogis attributionis & proportionalitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

commune est, ratio verò nomini accommodata est partim eadem secundum terminum, partim diversa, secundum diversas habitudines ad illum. Exemplum sit animal, pulsus, & medicina respectu nominis sanum. Ad quod tamquam ad terminum tria ista dicunt habitudines diversas, nam animal ad sanum, vel potius ad sanitatem dicit habitudinem recipientis; pulsus indicantis; medicina causantis, quæ habitudines sunt diversæ ad terminum eundem: ex quo patet, quomodo Analogia habeant nomen commune, cuius ratio sit partim eadem, propter eundem terminum; partim diversa, propter diversas habitudines ad illum. Sed

xxx. Petes, cur hæc Analogia vocentur attributionis.

xxxii. Respondeo: quia in eis nomen commune, ita uni illorum primario attribuitur, ut cæteris per ordinem ad illud attribuitur; nam esse sanum, primario convenit animali, eo quod animal intrinsecè sanitatem habeat: pulsui verò & medicinæ non nisi secundario, eo quod intrinsecè sanitatem non habeat; sed extrinsecè duntaxat, ut signum & causa illius intrinsecè animali inexistentis: hinc patet, cur dicatur nomen Analogum simpliciter stare pro primario & famosiori significato, quia scilicet nomen illi intrinsecè convenit.

xxxiii. Adde, non obstante eo, quod nomen sanum respectu illorum trium sit Analogum, esse tamen univocum respectu plurium alterutrum illorum, puta vel respectu plurium animalium tantum, vel respectu plurium pulsuum tantum, vel respectu plurium medicinarum tantum; quia omnia animalia univocè conveniunt in ratione intrinsecè recipientis sanitatem; omnes pulsus in ratione extrinsecè indicantis, &c.

xxxiv. Analogia proportionalitatis sunt quorum nomen commune est, ratio verò nomini accommodata, simpliciter quidem diversa est, sed proportionaliter eadem.

xxxv. Dixi, simpliciter diversa, quia nuda proportionalitas ad Analogiam non sufficit; alioqui ignis A. & ignis B. in ratione causæ, & binarius ac quaternarius in ratione dimidii quaternarii & octonarii essent Analogi; nam sicut se habet ignis A. in ratione causæ ad effectum, ita & ignis B. Item sicut se habet binarius in ratione dimidii ad quaternarium, ita se habet quaternarius in ratione dimidii ad octonarium; illa autem sunt univoca ut patet: debet igitur ratio nomini Analogi accommodata, esse simpliciter diversa, id est, propriè in uno Analogorum reperiri, in alio impropriè, cum similitudine tamen, cum eo, cui propriè convenit, sic homo & pratum respectu nominis risus sunt Analogata proportionalitatis: quia risus propriè homini, & prato non nisi impropriè convenit, cum hac tamen similitudine ad risum hominis, quod sicut risus hominis significat bonam illius dispositionem, ita risus prati, sive potius viror prati, bonam prati constitutionem significat: & hæc non malè à nonnullis dicuntur æquivoca à consilio, in eo æquivocis à casu opposita, quod illa habeant idem nomen sibi impositum ex industria, propter similitudinem unius cum alio; hæc verò quod casu & præter intentionem imponentis. Sed

xxxvi. Petes, quomodo proportionalitas distinguatur à proportionem.

xxxvii. Respondeo, proportionem esse simplicem relationem seu habitudinem unius ad aliud, ut causæ ad effectum, dimidii ad duplum: proportionalitatem verò esse comparisonem proportionum inter se; ut in exemplis ignis & binarii supra allatis.

DUBIUM V.

An dari possit ratio communis Analogis attributionis & proportionalitatis.

xxxviii. D. Vbiū procedit de ratione communi 1^o intentionali & intrinseca Analogis, eo sensu, quod dicunt Authores rationalitatem esse communem univocam 1^o intentionalem & intrinsecam Petro & Paulo; vel secundum nos, de 2^o intentionali secundum modum significandi tantum. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

xxxix. D. Ico: ab Analogis attributionis & proportionalitatis ut sic sumptis, non potest abstrahi ratio communis 1^o intentionalis & intrinseca juxta sensum dictorum Authorum; vel secundum nos, secundum modum significandi tantum.

xxxx. Probatur, quia alioqui non essent Analogi, sed univoci, ut consideranti patebit; nam haberent rationem absolutè eandem, & non simpliciter diversam ac proportionaliter eandem, vel partim diversam & partim eandem, ergo, &c.

xxxxi. Nec dicas, animal, pulsus & medicinam in eo convenire, quod dicant ordinem ad sanitatem; nam ut dicunt ordinem in communi ad sanitatem, non sunt Analogi; alioqui duo animalia, duo pulsus, &c. respectu nominis sanum essent Analogi, quia etiam dicunt ordinem ad sanitatem: sunt tamen ex dictis num. 34. univoci; sed quia dicunt talem & talem ordinem, à quibus ordinibus ut talibus non potest abstrahi dicta ratio communis univoca.

xxxxii. Quæri hic solet 1^o an dependentia seu prioritas & posterioritas participationis rationis communis, item an transcendentia, id est, inclusio rationis communis in Differentiis contrahentibus oblit univocationi?

xxxxiii. Respondeo neutram obesse: non 1^o, quia dependentia illa non relucet in ratione communi entis, sed in Differentiis contrahentibus, ut supra monstratum est: non etiam 2^a, quia licet ipsæ Differentiæ concipi non possent sine ratione communi entis v. g. (quod tamen falsum esse patet ex dictis de Individuo & Differentia) posset tamen ens ab illis perfectè abstrahi, quod ad univocationem sufficit.

xxxxiv. Confirmatur, si dependentia obesset univocationi, jam substantia non esset univoca respectu materiæ & formæ substantialis; Accidens univocum respectu quantitatis & qualitatis; qualitas univoca respectu potentiae & actus; quia inter hæc est dependentia; quæ tamen dici non possunt, ergo, &c.